



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

LII. Differentia 9. Secundùm leges filius hæres retinet unam tantùm  
Falcidam:

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## LII.

## DIFFERENTIA 9.

Secundum leges filius hæres retinet unam tantum Falcidiam: I. Iubemus, C. ad Trebell. Secundum Canones verò duas, unam naturæ, & alteram Trebellianicam, c. Raynutius, de testam. Galvan. 9. Canis. 26.

I. Falcidia nomen habet à Falcidio tribunopl. qui invenit, & præscripsit: quarta pars est, quam hæres ex legatis detrahit, quando nimirum tot legata sunt, ut non remaneat hæredi saltem quarta pars bonorum defuncti. Quod conveniens & necessarium videbatur, tum propter hæredes, ne solo nomine ditentur, tum propter ipsum defunctum, ne gravata tot oneribus hæreditas à nemine acceptetur, ff. ad l. Falc. Molin. disp. 213. Fagund. de Contr. l. 6. c. 17. n. 12. Trebellianica sub Trebellio Maximo consule præscripta dicitur: quadrans seu quarta pars hæreditatis est, quam fideicommissio gravatus hæres post aditam hæreditatem sibi retinet, §. Sed quia stipulationes, Instit. de fideicommiss. heredit.

Quod legitimam filiorum attinet, aliqui jure naturæ, aliqui gentium, aliqui humano tantum, sed civili debitam esse contendunt, suis singuli rationibus armati. Meliorum opinio est jure naturæ, vel gentium deberi quoad substantiam, seu rem ipsam: jure humano autem, quoad quotam, seu determinati-

onem, quod verum arbitror. V. Fachin. l. 4. c. 32. Barb. Dist. 1. c. 7. n. 23.

II. His positis jure Canonico filius hæres, & legitimam suam, & Trebellianicam ab hæreditate sibi fideicommissio data retrahit; Jus civile verò, unam tantummodo Falcidiam tribuere videtur. Sed rem ipsam, & mentem DD. intuenti nulla discrepantia videbitur. Legitimam enim, quatenus Juris naturalis est, nemo tollit, Falcidia verò, seu Trebellianica utroque jure approbatur, ut post alios declarat. Andr. Vallens. l. 3. Parat. tit. 26. §. 4. Nec diversum quid in c. Raynutius definitur, ubi præter legitimam Trebellianica adjudicatur. Nam de legitimâ an deberetur, lis non erat, sed de personâ, quâ repertâ non potuit negari Trebellianica, salvâ auctoritate l. Iubemus, C. ad 3C. Trebell. v. Glos. in c. Raynut. de testam. Covar. ibid. Boer. decis. 156. n. 3. Fachin. l. 4. Controv. c. 32. Gaill. l. 2. obs. 21. n. 5. Bronchorst cent. 3. ass. 67. Gomez. l. 1. Resolut. c. 5. Laym. l. 3. tit. 5. c. 9. Less. c. 19. Dub. 7.

## LIII. DIF-